



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An præter literalem scripturam nihil docendum sit in Ecclesia. tit. 176

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

us à charitate Christi? Tertiò, remissio peccatorum
 & donatio spiritus sancti, propter Christum, exaudi-
 tio orationis, &c. Ioan. 10. Ego do eis vitam eternam.

AN PRAETER LITERALEM
scripturam nihil docendum sit in
Ecclesia.



Primò notandum est, quòd hoc vni-
 cum est axioma omnibus hæreticis
 commune ab initio mundi, quo suã
 defendunt pertinaciam, nempe ni-
 hil esse docendum & admittendum
 in Ecclesia, nisi quod in litera scri-
 pturæ expresse habetur. Est igitur notandum, quòd
 duo sunt in Christianismo, Fides, & vita Christiana.
 De ijs duobus tota scriptura loquitur, quid creda-
 mus, & quid faciamus, quæ duo Apostolus nominat,
 i. Timo. 1. Fidem & conscientiam bonam, Et Christus
 Marc. 1. Credere & pœnitere, &c.

Secundò, scriptura docet primò fidem in Iesum
 Christum, quam fidem prophetæ in futurum Chri-
 stum, & nunc Apostoli & Euangelium de Christo na-
 to & passo exigunt & docent fidem Christi, & ad hoc
 tendunt omnes articuli in symbolo, & de hoc scriptu-
 ra loquitur. Apostolus 1. Cor. 15. Hoc est Euangelium
 meum, inquit, quoniam Christus surrexit à mortuis,
 iuxta scripturam, & Romano. 4. Abraham fide est iu-
 stificatus. Hæc autem scripra sunt &c. Primo ergo lo-
 quitur scriptura sacra, vt fundamentum fidei, doceda est,
 cum sacramentis & alijs mysterijs, 1. Cor. 4. Sic nos
 existimet homo &c.

Tertiò, Deus non vult vt fides tua sit occulta, sed
 vult eam manifestam fieri per dilectionem, Galat. 5.
 Ergo omnes homines, cuiuscunque fuerint status &
condi-

conditionis, erga Ecclesiam Catholicam & magistratum, per debitam obedientiam rectè & iustè gerere debent erga æquales & inferiores, vt quæcumque vis tibi fieri, ea quoque alijs facias, Matth. 7. sic omnia in nobis fiant ordinè & honestè, 1. Cor. 14.

Ideò statuta ecclesiæ quoquè exigi & doceri debent, atque cæremoniæ. Sic iubet Paulus obseruare traditiones, 2. Thess. 2. & Act. 16. vt ordo conseruetur: sic docentur exempla, & vitæ sanctorum ad nostram imitationem, sicut non verentur facere Euangelistæ, describentes totam vitam Ioannis Baptistæ, Luc. 1. Matth. 3. Marc. 6. vbi natiuitas, cibus, potus, vestitus, prædicatio, occisio notantur. Ergo & illa licet possunt doceri exempli gratia, ad componendam vitam nostram.

Quartò, Hæretica igitur licentia quæ omnia contemnerat, abijcit & prohibito suo statuit, non approbatur ab Ecclesia. Et multa sunt recipienda & docenda in Ecclesia, licet non sunt literaliter scripta. Non enim omnia scripta sunt, vt inquit Euangelista Ioannes ca. vltimo. Nā & totus mundus nō posset capere libros, Ideò ordo vitæ bonæ & cultus diuinarum traditionum, non sunt reiicienda. Semper hæretici obiecerunt, Hoc non est scriptū: Ergo non seruandū, sic Arriani fecerunt, dicentes, non habetur in Biblijs homouision, ergo non credendum &c. Sat nobis est traditio Patrum & Ecclesiæ in ijs qui vitam & bonos mores respiciunt.

DE APPROBATO PER ECCLESIAM DEI VERBO.

TITVLVS CLXXVII.



PRIMò notandum, quod verbum Dei nō indiget nostra seu Ecclesiæ approbatione. Est enim deus verax, & omnis homo mendax, Romanor. 3. Attamen quia deprauato.